

Heinrich Dringenberg

**Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Hebreae Linguae, uti & Catech. Christ. Profess. ... ad Exequias quas Filiolae ... Sophiae-Mariae Laurembergiae, Parentes luctu ac dolore plenissimi, hodie Hora 1. paratum ibunt, Omnim ordinalum Cives Academicos ... invitat : [P.P. sub Sigillo Rectoratus, ipsis KL. Octobr. Anno M. DC. LXVIII.]**

Rostochii: Kilius, [1668]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn773013768>

Druck    Freier  Zugang



91

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HINRICUS** Ringenberg/  
Hebreæ Linguæ, uti & Catech. Christ. Profess.  
Publ. Facultatis item Philosophicæ hodiè  
DECANUS;  
ad Exequias  
quas  
Filiola sua tenerrima Scitissimæq;  
**SOPHIAE-MA-**  
**RIÆ LAUREM-**  
**BERGIAE,**

Parentes luctu ac dolore plenissimi,  
hodiè Horâ I.  
paratum ibunt,  
**Omnium ordinum CIVES ACA-**  
**DEMICOS** seriò studiosèq;  
invitat.

---

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr.

444

FP Lauemburg, Sophia 1668



Uæ hodiè MATRI TERRÆ  
inseretur, tua, VIR Amplissime,  
Filiola , unum saltem vivendo  
complérat annum. Adeòq; quò  
concisior ei ætas contigit, eò mi-  
norem de sese scribendi impo-  
nit nobis vel difficultatem , vel  
materiem. Quid enim operosi  
afferatur in eam, quam ne cum vitia conspurcârant,  
nec illustrârant virtutes? Sanè si nascendo somitem  
statim peccatorum alere , aut mox ostendere origi-  
nem, turpitudo est aut de honestamentum (uti est o-  
mnino ) universum terrarum orbem isthoc pacto ex-  
seceris; nemo enim non ita nascitur. Aut si per sa-  
crum isti negocio destinatum fontem renasci, potesta-  
te inferorum exire, cœloq; mancipari, gloriosum est ac  
apprimè laudabile (uti est revera) non omni id quidem  
homini commune fuerit, sed omni tamen Christiano:  
Cuiq; enim fidelium hæ caltera, per divinam gratiam  
conceditur nativitas. Ut adeò Filiola tua nil præ cete-  
ris peculiare habuerit, propter quod vel vituperari  
posset, vel laudari mereretur. Ni dignum fors enco-  
mio & publicâ de prædicatione, quod naturalis jam tūm

con-

conspicta in ipsa sit indoles, ingenii<sup>e</sup> donitas, magnam suo tempore clarissimamq; editura virtutem. Sed enim quantum etiam habeant hujuscemodi igniculi *instar*, non possunt esse tamen absolutæ laudis argumentum, quod reapse necdum quicquam eximii ponant, facileq; extingui ac verti queant in contrarium; Hinc adeo sedet nobis sententia, commentationem funebrem, quæ tam sterilis sit materiei, tamq; angustis scribentem spaciis includat, isthoc adornare pacto, uti nonnulla, quæ tibi, VIR Nobilissime, erigendo sint consolandoq;, afferamus. Quâ tamen opera non antè fungemur, quam *Majores* SCITISSIMÆ recensuerimus. Quorum tanta est profecto, sicutq; semper dignitas atque eminentia, uti cum præcipuis Provinciæ Urbisq;, imò vel orbis familiis contendere de principatu, imò plerisq; præripere palmam possit. Et non minutum est sanè, eximio magnoq; ortu seri, pertinetq; ea gloria ad jam vitâ etiam functos. Patrem te habuit, VIRUM Nobiliss. Consultissimumq;, DN. JACOBUM-SEBASTIANUM LAUREMBERGIUM, J. U. D. Pandectarumq; Professorem celeberrimum, quin Consistorii Ducalis Assessorem gravissimum, Collegam & Amicum nostrum honoratissimum: Matrem, verò grande Seminarum decus ac ornamentum, ELISABETAM Spengmane. Avus paternus fuit DN. PETRUS LAUREMBERGIUS, Med. D. ac humanitatis Profess, Publ. VIR summus, & Clarissimum Acad, quon-

quondam nostræ lumen: Avia paterna, luculentissimum MATRONARUM exemplar, MARGARITA CRAMONS, DN. JACOBI CRAMONS, Civis ac Negotiatoris olim nostratis primarij; ejusdemq; conjugis MARGARITÆ SIBETHEN, Matronæ honoratissimæ, & ex nobili Britannorum sanguine oriundæ, filia, etiam nunc, per DEI gratiam, superstans, Neptisq; suæ necem nimiopere dolens. Quem jam porrò latet Proavus paternus, DN. GUILIELMUS LAUREMBERGIUS, Phil. ac Med. D. ejusdemq; uti & superiorum Math. Professor, nec non Facult. Medicæ Senior suo tempore venerandus, practicusq; felicissimus; in Prædio Salingensi, cui Laureo Monti nomen, abs quo & cognomentum primum nactus est, quarto ab Ubiorum coloniâ milliari, parentibus natus honestissimus? Quem latet uxor ejusdem N. MEMMIA, Excellentissimi DN. PETRI MEMMII, Med. Profess. celeberrimi Filia? Imò quem latet altera proavia, JOANNA LON-  
GOLIA, Nobilis Ultrajectensis Batava, Phænix sexus sui, & fulgidissimum jubar? Ceterùm nec obscurus est Avus maternus, VIR prudentissimus spectatissimusq; DN. SIMON Spengman, REIP non ita pridem Stralsundensis magnæ auctoritatis Senator, DN. HINRICI Spengmans, dictæ Civitatis olim pariter Senatoris gravissimi, nec non MARGARITÆ CORNELIAE, in Hollandiâ conspicuis eximisq; natæ parentibus, filius, Lucemq; deniq; habet oppidò eximiam Avia materna,  
ANNA

ANNA HAGEMEISTERIA, celebris & perantiquæ  
Familiæ Matrona, & virtutibus decoratissima, Iste est  
sanguis, cui originem TUA, VIR Ampliss. debet suam,  
supra modum præstans ac clarus. Ipsa, si supervixisset,  
secutura, sine dubio, Parentum majorumq; fuisse  
vestigia, neq; exiguum generi suo intulisset splen-  
dorū. Sed aliter viñum cælo. Quò migrare jussa cele-  
riùs, quam ullo unquam pacto existimavisses. Scilicet  
noluit diu hærere terris hisce nostris TUAM DEUS;  
maluit mox sibi repetere, uti in cœlestium SOPHIA  
mansione *coφiaν* virtutemq; compendio & sine remo-  
râ addisceret, quam ceteroquin apud nos, non nisi  
tractu annorum, varièq; impedita, doceri quivisset. Quâ  
profecto in re magna constituta est felicitas. Sed quid  
quòd tanta tibi succubuerit spes tamen, aut in herbâ  
quasi extincta sit? Quo animo tam festinam, PARENS,  
habebis SOPHIÆ-MARIAE necem? Credam equi-  
dem, tristi dolenteq;. Sed audi, præter sacrum divi-  
numq; codicem, quem sat studiolâ versavisti, scio, nia-  
nu pariter menteq;; audi, inquam, præter ista divina,  
ex Gentilibus Sapientissimum SENECA M, O Ignaros,  
dicentem, quibus non mors, ut optimum inventum Natu-  
ræ laudatur; quæ sive felicitatem includit, sive calamitatem  
repellit; sive satietatem aut lassitudinem Senis terminat;  
sive juvenile ævum, dum meliora sperantur, in flore deducit;  
sive pueritiam infantiam rē ante auriores gradus revocat;  
omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nul-  
lis

*lis melius merita, quām de his, ad quos venit antē, quām invocaretur. Scilicet nunquam sit ante tempus, quod fieri omni tempore potest. In omnem ætatem morti patet aditus. Inordinata vita est hominum. Nullum penitus mors ordinem observat. Et senes decrepitiq; cunctantur; & festinant juvenes, præcipitantq; pueri; & infantes primo de vitæ limine detrahuntur. Hic tardius licet, ille oxyüs, hic maturus, ille acerbus: Nemo non moritur. Hæc summa est. Ubi verò & quā ætatis parte quis pereat, non multum interest. Esto: acerbus quis moriatur; morte profectò satis maturuit. Hinc adeò intelligitur, parùm interesse inter illum, qui unum, & qui centum annos vixerit; nisi quòd hic, quòd ætate gravior, eò peccatorum quoq; fasce gravatus magis onustusq; Patribus suis adnumeretur. Luculentæ sapientiæ instar plerisq; est Gentilibus, quod *Silenum à Midā* capturn, pro suâ ei missione, referendæ gratiæ ergò, respondisse ferunt: *Non nasci, homini longè optimum esse; proximum autem, quamprimum mori.* Prius quidem illud omnino dignum erat, quod madido ore *Silenus* proferret, asininiq; auribus *Midas* exciperet. Quomodo enim queat optimâ conditione esse, vel optimum qui habere, qui neq; sit, neq; fuerit? Quomodo melius sit, nihil esse, quām creaturam ratione instrutam esse? DEI imaginem esse? Ceterū posterius minimè improbamus, tanquam rectè præclarèq; *Sileno* monitum; concinitq; omnino pervulgatum illud *Mennandi.**

nandri; ὁ δὲ Φιλέων, Διοθύησκενέθ. Certè non aliter cum  
vitâ nostrâ comparatum est, ac cum fluminum undis,  
quæ in oceanum devolvuntur: aliæ namq; neq; longâ,  
neq; difficiili viâ exitum inveniunt; aliæ verò, quæ pro-  
pè fontes ipsos excipiuntur, & diu in itinere hærent, &  
ē catarractis præcipitantur, & ambagibus atq; anfra-  
ctibus exercentur: Non aliter in vitâ humanâ omnes  
metam properamus ad unam. Qui ab eâ longius absunt,  
iter sicut diuturnum, ita quoque molestum magis con-  
ficiunt; plures difficultates experiuntur, & majores ex-  
antlant labores. Rectè profectò & præclarè iterum,  
maximus SENECA, Non est, ait, quòd quenquam pro-  
pter canos aut rugas putas diu vixisse. Non ille diu vixit, sed  
diu fuit. Quid enim? illum putas multum navigasse, quem  
seva tempestas à portu exceptum, huc & illuc tulit, ac viribus  
ventorum ex diverso furentium per eadem spacia in orbem  
egit? Non ille multum navigavit, sed multum jaclatus est.  
Quemadmodum igitur pelago fortè isto tempestuoso  
fluctuans, & in portum quantocyùs secundis ventis de-  
latus; aut veluti duro carcere clausus, ac inopino λύτρο  
redemptus, vel cancellis ruptis fractisq; liberatus, maxi-  
mam felicitatis partem indeptus fuisse creditur; Sic  
quò citius quis in tuto vehi, aut corporei carceris vin-  
culis exsolvi incipit, eò beatiori res ejus ac fortunatori  
loco, jure meritoq; esse reputaveris. Atque hac quidem  
ratione præcipitata, AMICE, Filiolæ mortem feres,  
ex istoq; fonte medicinam luctu ipetes, atque solatium.

Quod

Quod de ademtā ceteroqui magna tibi spe moveba-  
tur, id nec ipsum profectō tale est, uti ea propter indolere  
nimioperè, aut angi animo debeas. Enimverò ha-  
bes, per DEI gratiam, quibus jacturam hanc quidem  
farcias, superstítantes Filias alias. Et præterea qvum  
ipse DEUS noluerit, ut in SOPHIA-MARIA magnarum  
spem rerum figeres, morem, si pius es, qui es o-  
mninò, gerere debebis, divinamq; voluntatem pro  
tuā utique habere ipsius.

Ceterū, qvum hac ipsā die supremū exequiarum  
honorē examini tantūm nō ostensæ prolis corpusculo  
præstare Parētes mœstissimi decreverint, nostrarū utiq;  
partium, CIVES ACADEMICI, fuerit, frequen-  
tes in funere comparere. Enimverò præcipuum hu-  
manitatis officium est, non negligere mortuos. Nec ea  
ipsa benivolentia, aut pietatis iste affectus ullum alium  
magis ordinem, quam vestrum, decet. Itaque non de-  
trectabitis, quæ vobis imponuntur, partes, sed munia  
potius vestra copiosè explebitis; lenituri vel eā etiam  
ratione Parentum dolorem, & insuper, quam Eminen-  
tissimæ LAUREMBERGIORUM familiæ studiosi, quā  
DN. COLLEGÆ, VIRI de Academiā præclarissimè  
cotidiè merentis, observantes, quam deniq; reverentes  
obsequiosiq; erga magistratum sitis,  
reapse ostensuri.

P.P. sub Sigillo Rectoratus, ipsis KL. Octobr.

Anno M. DC. LXVIII.

Convenietur in Aede JACOB. Horā I.



ANNA HAGEMEISTERIA, celeb  
Familiæ Matrona, & virtutibus deco  
sanguis, cui originem TUA, VIR An  
supra modum præstans ac clarus.  
Ist, secutura, sine dubio, Parentum i  
vestigia, neq; exiguum generi suo  
rum. Sed aliter visum cælo. Quò m  
riùs, quam ullo unquam pacto existi  
noluit diu hærere terris hisce nostris  
maluit mox sibi repetere, uti in cœle  
mansione *et plau* virtutemq; compen  
râ addisceret, quam ceteroquin ap  
tractu annorum, varièq; impedita, do  
profecto in re magna constituta est fe  
quòd tanta tibi succubuerit spes tan  
quasi extincta sit? Quo animo tam fes  
habebis SOPHIAE-MARIAE necem  
dem, tristi dolenteq;. Sed audi, pra  
numq; codicem, quem sat studio la ve  
nu pariter menteq;; audi, inquam, p  
ex Gentilibus Sapientissimum SENE  
dicentem, quibus non mors, ut optimun  
ræ landatur: qua sive felicitatem includit  
repellit; sive satietatem aut lassitudinem  
sive juvenile ævum, dum meliora sperant  
sive pueritiam infantiam ræ ante duriore  
omnibus finis, multis remedium, quibus a




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]  
Patch Reference numbers on left